

1594  
Matthias  
Austrius  
Strigonium  
aggreditur.

oppugnato. Eodem tempore Strigonium Matthias aggressus partem urbis, quæ vetus dicitur, vi capit; aggeres divi Thomæ montis in suam potestatem redigit; novam civitatem, quam a Danubii amnis propinquitate Aquensem vocant, impari eventu invadit: e suis octingentis amissis, Sinanis Basæ adventus rumore, tentatis morbo copiis, non absque commeatuum inopia, dilabente milite, oppugnationem deserere coactus. Dum hæc in Pannonia geruntur, Maximilianus in Croatia, quatuor peditum millibus, atque equitum manu coacta, Uscochis Sennia evocatis, Culpa amne trajecto, hostes Petrina expellit, Castrovicium capit, Sisachum superiore anno amissum recipit, ulterius progressurus, ni Matthiæ subveniendum in Pannonia fuisset. Jam enim Sinanes cum ingenti exercitu, Tartarorumque Præcopensium colluvie Budam per venerat. Is, Strigonio præsidiis aucto, Tatta oppido deditione recepto, Jaurinum, totius Pannoniæ fortissimam arcem, in dextera Danubii ripa sitam, qua amnis in multas discisus partes, Comaram insulam conficit, circumfedit. Multa utrimque egregie ac fortiter gesta; propugnatores, licet initio mille tantum ac quingenti Ferdinandi Ardechii, castrorum Cæsaris magistri, auspiciis arcem tuerentur, brevi tamen duorum Germanorum peditum millibus, quinque equitum turmis augentur. Belli glòria incensi ex Italia multi accurrunt; in iis Joannes Medices, Ferdinandi magni Hetruriæ Ducis frater, cum duobus peditum millibus, vicario Ferdinando Rubeo, castrorum præfecto, supervenit. Per duos menses magna animorum obstinatione certatum. Copiis ad triginta peditum, ac duodecim equitum millia auctis, dum insulam in amne positam, quæ pro munimento Jaurino erat, quoque subveniri oppido poterat, Cæfareani propugnant, arx stetit. Verum postquam Sinanes, quassatis mœnibus, aditum sibi in urbem patefacere non posse intelligens, insulam adortus, amne trajecto, est potitus; acrius redintegrata oppugnatione, variis casibus imminuto Cæfareanorum exercitu, cum Matthias Altemburgum se receperisset, laborum ac vigiliarum Germani præfidiarii milites pertæsi, de urbe dedenda cogitant; Italibus contradicentibus, ac, ne se exitiali atque irrevocabili consilio commacularent, suadentibus. Sed cum nulla ratione tumultuantium impe-